

Berg
7
96

(382) 1928 K 944
7,23
**D. FRIDERICVS LVDOVICVS
KREYSIG**

PATHOL. ET CHIRVRG. PROF. PVBL. ORD. VIC.
FACVLTATIS MEDICAE WITTEBERGENSIS

H. T.

D E C A N V S

DISSERTATIONEM INAVGVRALEM

DIE XXX. IVNII A. C¹CCCXCVI.

H. L. Q. C.

H A B E N D A M

I N D I C I T.

*Physiologorum de natura vis vitalis diffen-
sus exponuntur.*

PARS I.

1776

PHYSICO-MATHEMATICA
TRACTATIS

DE MATERIA ET FORMA SOLI ET AQUAE

ET AL.

LIBER I.

DE SOLI ET AQUAE

Vitam appellare solemus eam corporis humani conditionem, in qua phaenomena nobis offert, tum natura sua tum ratione legum, secundum quas producuntur, peculiaria. Cum vero ex naturae necessitate legi cuidam animus noster adstrictus sit, qua nullum nobis cogitare possumus phaenomenon, quod sine causa sit, quae rationem eius contineat, vitae etiam, quippe complexus phaenomenorum peculiariis indolis, causa statuenda est, quam, nomine a phaenomeno desumpto, vim vitalem appellarent. Huius naturam ut inuefigarent, medici et philosophi omni fere tempore summa cum animi contentione allaborarunt. Sed quantum etiam, hoc maxime tempore, de eo cogitatum scriptumque sit, quid in nobis sit istud, ex quo tot tamque diuersos peculiariis indolis effectus prodire videmus, admodum diuersae tamen nunc quoque inter physiologos hac in re obtinent opiniones. Phaenomena quippe quae vitam constituant, duplicitis generis esse et vel in motibus vel in sensationibus cerni, has vero per proprium partium genus, neruofum dictum, istas per ceteras c. h. partes plerasque edi, et utrumque phaenomenorum genus homini cum animali regno commune esse omnes fere affirmant. Iam vero in eo mox dissident, num vna eademque sit causa, quae motus et sensationum organa regat, an diuersae potius vires vitales sint constituedae? Deinde cum et in vegetabili regno ea vitae phaenomena deprehenduntur, quae in motibus cernuntur, de eo etiam in diuersas sententias abierunt, num vis vitae in plantis obvia cum ea conueniat, quae in animali regno motus producat, an diuersae indolis ea statuenda sit? Denique et sedis ratione vi vitali in animalibus assignandae litibus nec hoc quidem tempore compositis a se innicem separantur. Qui enim vnam eandemque omnium vitae phaenomenorum causam statuunt, vel eam omnibus omnino partibus datam et primitus insitam, vel neruis solis eam adstrictam esse et ceteris partibus ab his communicari contendunt.

❧

Cum igitur physiologi de vis vitalis identitate vt alunt, seu vna vel multiplici natura non solum sed de sede etiam ei assignanda inter se dicent, mirum non est, eosdem dum propriam causae, quae vitam producat, naturam scrutari vellent non magis in hac definienda inter se conuenisse. In vniuersum autem dupli ratione a se invicem nunc quam maxime distant; vel enim in uno aut duplicitis generis principiis, (quorum vnum nervis alterum organis motus inhaerat) vis vitalis naturam cerni volunt; vel eam in peculiari corporum organicorum mixtione et forma contineri hancque solam omnia vita phaenomenorum rationem continere sibi persuasum habent.

Quodsi huius de natura vis vitalis diffensus causas scrutamur, eas in ignota plane ciudem natura latere inuenimus. Ipse quidem ille diffensus, num vna aut plures diueriae indolis vires constituent, et an nervis solis ea adstricta sit, luculenter docere posset, quantum in definienda huius vis natura a certitudine absimus. Ut autem accuratius de his rebus iudicare liceat, de diuersis ad naturam huius vis definiendam prolatis sententiis quaedam adhuc breuiter expounda videbantur.

Monendum igitur nobis est; eos, qui causam, quae vitae phaenomena producat in principiis quibusdam aut eo vno querant, iterum in peculiari eorum natura proprius definienda a se discedere. Alii quippe, quod iam veteris acui philosophis placuisse videmus, vitam a substantiis subtilissimis a sensuum nostrorum ditione plane remotis et materiae attributis adeo destitutis, quae spirituum nomine insignitas sunt, contineri credunt. Hinc vel eam substantiam, quam representationum siue sensationum substratum esse credimus, animam dictam, vel similes substantias cum hac magis quam cum materia conuenientes et vel per nervos solos vel per omnes partes diverso gradu distributas et quasi diffusas in usum vocarunt, vt vitae phaenomenorum rationem redderent.

At qui principium cogitans et sentiens vitae causam esse volunt, effectus ipsi tribuunt, quos et eo absente edi animaduertimus; partes enim a corpore nostro vel animalium adhuc viuo separatae, quibus nemo sensum tribuit, vitae tamen phaenomena ostendunt. Dein-

◆◆◆

Deinde vero animam nostram non nisi ex unico suo charactere, nempe ex eo, quod representationum nostrarum nobis concii simus, cognoscimus, iam vero multa in corpore nostro phaenomena observare licet, quae cum representationibus in nulla omnino coniunctione inueniuntur; quibus igitur si effectus tribuimus, quin rationem aliquam videamus, quam cum iis habeant, admodum temere factam conclusionem admittimus.

Quodsi eorum amplectimur sententiam, qui unum vel plura simili naturae, nempe inter animae et materiae naturam quasi fluctuantis, principia vitae causas esse statuunt, vero ne in maiores adeo tenebras incidamus. Si enim representationum causam vitae principium esse dicimus, aliquid tamen habemus, quod reuera datum et experientia cognitum sit; istae vero substantiae neque externi neque interni sensus beneficio cognoscuntur, sed ita exortae sunt, ut physiologi, cum vires corporum sensibus attingere non possent, cogitatione eas aſequi conarentur; principia hinc excogitarunt, quibus corpora, quisque pro suo fere lubitu, impregnabant. Quemadmodum igitur et inorganici regni corpora principiis ab effectibus, quos corpora praestent, denominatis donabant, quale gravitatis, magneticum etc. sunt, sic viventium etiam corporum peculiare principium, quod phaenomenorum vitae rationem contineret, agnoscendum esse existimarent. Cum vero nullius rei, quae a sensuum imperio remota est, ullam habeamus ideam, iis, qui vitae principia phantasiae ope sibi crearunt, idem accidit, quod omnibus naturae scrutatoribus accidat necesse est, qui animi quadam impetu ad ea inuestiganda rapiuntur, quae humani ingenii imbecillitas arctis, nempe sensuum, circumscripta limitibus, nunquam attingere poterit, i. e. phantasiae prolem, ut rem reuera datum amplexi sunt.

Quae cum ita sint, alii feliciores fese in indaganda vis vitalis natura fore existimabant, si materiam aliquam aut plures sensuum ope reuera cognoscendas vitae phaenomenorum rationem continere statuerent. Subtilissimas autem semper in usum vocandas esse crediderunt, quas in reliquo corporum regno insignia non solum et maiora, quam rudiorem et crassiorem materiam, sed talia etiam phaenomena



edere obseruamus, quae cum sis in viuis corporibus et in animali maxime obuiis aliquam similitudinem habere viderentur. Multi igitur fuerunt, qui materiam electricam vitae principium salutandum esse voluerunt, inter quos recentissimum de hoc argumento scriptorem, ingenii sagacitatem, et doctrinae copia insignem, I. D. BRANDIS,¹⁾ et, cui primo electricitatis sic dictas animalis phaenomenorum inuenitum et primam eorundem considerationem debemus, ALOYS. GALVANI²⁾ nominare liceat. Maxime deinde recentissimis chemiae, quam antiphlogisticam vocant, praeceptis ita visi sunt, ut non solum ad proprias corporis humani functiones et ad naturas morborum melius et certius, quam hucusque factum esset, explicandas ea accomodarent; sed ipsam vis vitalis, quatenus in irritabilitate cerni creditur, substratum in quadam recens detecta materia, nempe oxygenio (eo iam tempore, quo tale, in rerum natura dari, ne certo quidem probatum erat,) inuenisse sibi viderentur. Quid? quod eo iam progressi sunt, vi electricam materiam nervorum, oxygenium vero seu principium acidificans muscularum et organorum motus in uniuersum principium, seu duplicitis vis utriusque organorum generi propriae substratum constituere contendant.³⁾

Si igitur dicendum quod res est, fateri omnino oportet, de harum materiarum praefentia in rerum natura in uniuersum non solum, sed in corpore etiam animali tum phaenomenorum obseruatione, tum argumentatione legitime inde deducta nobis persuasum esse posse; quid? quod hasce materias in oeconomia animali magnas partes agere concedendum videtur. Nimirum autem inde conclusissime censendi sunt, qui hasce materias, electricam maxime et principium acidificans omnem vitae phaenomenorum rationem continere statuant.

Quid vero de utraque hac sententia censendum nobis videatur in proxime instantem occasionem differendum est. Commendandus enim nunc mihi est

VIR

¹⁾ Versuch über die Lebenskraft, Hannover 1795.

²⁾ Ueber die Kräfte der zvier. Electricität etc. übers. von MAIER, Prag 1794.

³⁾ FOTHERGILL, über Hemmung der Lebenskraft, a. d. Engl. von D. CHR. FR. MICHAELIS, Leipzig 1796.


V I R
 PRAENOBILISSIMVS, DOCTISSIMVS
C A R O L V S S A L O M O L O C K E ,
 MEDICINAE CANDIDATVS DIGNISSIMVS,

L A U B A N O - L U S A T V S ,

qui de vitae et studiorum suorum ratione sequentem in modum Ipse
nos docuit.

Ego, CAROLVS SALOMO LOCKE, Laubano-Lusatus natus sum anno huius
seculi LXXIV. die XX. Martii, patre SALOMONE CHRISTOPHORO
IACOBO LOCKE, Medicinae Doctore, et Laubanensis urbis Physico; matre
IOHANNA CHRISTIANA, e gente TREVTLERIANA, quae Budissae floret,
oriunda. Quos parentes summi Numinis beneficio viros adhuc, atque incor-
lumes mihi gratulor summaque semper pietate prosequar. A prima infantia
traditus sum praceptoribus domesticis, qui principia religionis christianaee,
et eas artes, quibus puerilis aetas ad humanitatem informari solet, fideliter
me docuerunt et quibus omnibus gratissimam mentem declaro; maxime vero
Praecell. BECKERTO, Scholae Laubanensis Colleg. III. cui gracie linguae
elementa debeo, ob egregia sua de me merita summopore obstrictum deuin-
tumque me sentio. Anno aetatis XII. Lyceum, quod patria in urbe
floret, frequenter ibique a Viris Clarissimis ac pie colendis b. GOEBELIO,
Rectori, cuius gratissima mente semper recordabor, nec non b. KOSCHIO,
Conrectore, eiusque successore BECHERO instructus sum. Anno huius seculi
LXXXI. Lipsiam petui, ut ibi artem sanandi discerem, cum iam ante anno
huius seculi LXXXVIII. ab Excell. ECKIO, r. t. Rectori Magnifico, in
studiosorum numerum receptus essem. Ab eo tempore scholas philosophicas,
Excell. CAESARIS, philologicas Excell. BORNII, et Excell. ERNESTII
frequentauit; in Botanice Clariss. HEDWIGIVM, optime de me meritum,
in historia naturali Clariss. LUDWIGIVM, in anatomie viuuerfa Clariss. HAA-
SIVM, et Clariss. FISCHERV M, nunc Professorem Kiloniensem, praeco-
ptores habui. Physiologiam a Clariss. SCHREGERO, chemiam a Clariss. ESCHEN-
BACHIO, Materiam medicam et Therapiam specialem a Clariss. HEBEN-
STREITIO, Physicam theoretico-experimentalem ab Excell. HINDENBUR-
GIO didici. Praeterlapsis ibi duobus annis Dresden me converti, ibique
non solum lectiones publicas frequentauit; sed praesentim quoque, duce Clariss.

WEIS.



WEISSIO, Arti obstetriciae operam dedi; idem mihi etiam insignis in me suae benevolentiae testimonium eo exhibuit, quod operationibus chirurgicis, tum publice, tum priuatim ab eo instituendis interesse, mihi concederet, qua propter ei me valde obstrictum sentio. In Arte dissecandi cadavera duce usus sum Clariss HEDENO, Prosectori theatri anatomici, quem optimum fautorum veneror. Post biennium lenam veni, et ab Illustre VOIGTIO, t. t. Prosectori Magnifico, albo academico insertus, ibique per semestre commoratus, Scholis pathologicis, sentioricis, therapeuticis et diaeticis Ill. HVFELANDII diligenter interfui, et a Clariss GOETTLINGIO Pharmaciam experimentalem, ab Excell vero FISCHERO Matheſin puram accepi. Ex urbe Jenensi Lipsiam regressus, ante breve tempus Wittebergam me contuli, ibique a Magifico TITIO, fases summa cum laude adhuc tenente, albo studiorum inscriptus sum, simul vero Gratiosum Medicorum Ordinem humanissime rogau, ut, examine rite superato, summos in Arte sannandi honores mihi tribueret.

Ex his igitur, quae de vita sua Candidatus nobis Ipse exposuit, apparet, Iplum non solum a prima iam aetate in iis litteris, quae ad humanitatem spectant, sed deinde etiam, dum medicinae studio se fouveret, optima vsum fuisse institutione; in vitroque autem disciplinarum genere non leuem fuisse eius diligentiam, sed tantum eum profecisse, vt ad summos in medicina honores adspirare posset; non solum nobis in examine pro Candidatura cum ipso nuper insituto, in quo expectationi nostrae egregie satisfecit, sed omnibus etiam litterarum cultoribus libello suo: *de complicationibus dysenteriae febrilibus*, inscripto, proximo die Veneris, d. XXX. Iun. sub Praefidio Exper. D. SALOMONIS CONSTANTINI TITHI, Collegae coniunctissimi, defendendo, quem proprio marte exarauit, satis et luculenter probauit.

Quo ipso constituto die vt egregiae Candidati nostri, quem pluribus laudare minime necessarium erit, doctrinae testes esse, et auctum solennem praesentia sua splendidiorem reddere velint, RECTOREM ACADEMIAE MAGNIFICVM, COMITES ILLVSTRISSIMOS, PATRES ACADEMIAE VENERANDOS, OMNESQUE LITTERARVM FAVORITES, summa, qua par est, obseruantia et officiose inuitamus.

Wittebergae, d. XXIII. mens. Iunii 1700 CCXCVI.

Wittenberg, Diss., Ergbd. 7, 1792-96

vol 18

f




3

86.

W

17



1928 K 944

7
7,23

24

D. FRIDERICVS LVDOVICVS
KREYSIG

PATHOL. ET CHIRVRG. PROF. PVBL. ORD. VIC.

FACVLTATIS MEDICAE WITTEBERGENSIS

H. T.

D E C A N V S

DISSERTATIONEM IN AVGVRALEM

DIE XXX. IVNII A. CICLOCCXCVI.

H. L. Q. C.

HABENDAM

INDICIT.

*Physiologorum de natura vis vitalis differ-
entias exponuntur.*

PARS I.

1796